



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii**

**Zurmöllen, Heinrich**

**Neuhusii, 1677**

Art. 3. De peccatis Judicum

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9734**



ex natura sua, nulla lege justificari potest.  
 8. Ubi post ventilatam debite secundum  
 jura causam, certa justitia deprehenditur,  
 non licet Judicibus declinare, ad opinio-  
 nes probabiles initio causæ propositas,  
 quia succedente certitudine rei, absorbetur  
 & tollitur sola probabilitas.

## Articulus Tertius.

### *De Peccatis Iudicum.*

1. **P**eccat Judex mortaliter & tenetur ad  
 restitutionem totius damni parti læsæ,  
 si falsam & injustam sententiam pronun-  
 ciet aut pronunciari permittat.

2. Peccat mortaliter & tenetur ad restitu-  
 tionem damni, si ex ignorantia crassa pro-  
 ferat sententiam injustam, quia cum sciat  
 aut scire debuerit se ignorantem, non de-  
 buit nec potuit licite se judiciis intro-  
 mittere.

3. Peccat mortaliter & tenetur ad restitu-  
 tionem cum injustam sententiam protulit,  
 ex eo quod discussionem aut examen debi-  
 tum causæ neglexit, sive fuerit negligentia  
 studii, sive inquisitionis & informationis  
 debitæ



debitæ adhibendæ, sive dilationis nimix, ob quam testibus mortuis probationes vel defensiones, veræ justitiæ partibus defuerunt, sive nimix præcipationis ob quam causæ plena discussio facta non est, sive ex aliis similibus causis.

4. Si permittat se Judex corrumpi prece, vel pretio, Muneribus, obsequiis, aut aliis quibuscunque; ex quibus sequitur injusta sententia, in hoc casu & peccati mortalis reus est, & ad restitutionem illorum quæ accepit & ad damni compensationem obligatur.

5. Peccant mortaliter cum nimirum etsi possit & debeat, sententiam tamen dare non vult, aut non nisi interlocutoriam, aut injuste ad aliud Tribunal transfert, & quando in re clarissime justa ad compositionem cogit, sub prætextu alicujus dubii eventus, qui revera non subest sed tantum imaginarius est.

6. Peccat, si in Criminalibus aut Civilibus examinet ea, de quibus quis directe vel indirecte non est accusatus, vel alias juridice suspectus.

7. PEC-



7. Peccat si testes scienter suspectos adhibeat, vel eorum quos adhibet qualitates non satis attendat.

8. Peccat si præter exigentiam causæ torturas & tormenta adhibeat.

9. Peccat si ultra modum sententiæ rigorem augeat, & demum omnis defectus iudicis, Reipublicæ vel Reo aliquod notabile damnum, sive formaliter, sive in causa vel consequentia afferens, est peccatum mortale & pro ratione damni tenetur Iudex ad restitutionem.

## TITVLVS SEXTVS.

### *De Denuntiatoribus.*

#### Articulus Primus.

##### *Quid & quotuplex sit Denuntiatio.*

**D**enuntiator dicitur qui alterius crimen defert apud superiorem vel iudicem sive ut Reus emendetur, sive ut ad exemplum aliorum puniatur vel remedium malo adhibeatur. Unde quadruplex assignatur denuntiatio.

I. Di-